Fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate.

Petri 1. Cap. II ~ § XVII.

Quocumque aspiceres, luctus, gemitusque sonabant,
Formaque non taciti funeris instar erat.

Ovidius 6. tristium.

FONDO FERNANDO DIAZ RAMIREZ

QUÆ miseris mortalibus undique, et undequaque pernoscitur, mundanarum rerum vilitas et vanitas, hęc ex abrupto, pręcisaque vitę stamine, aut filo clarius nobis, atque obvius innotescit. Mors certe, amara mors, tabida et truculenta mors; dum funeribus inhians et gaudens, jam sepulchris sepulchralibusque tumulis lęta sedet, jam mausoleis cęnotaphisque magnificis pro Solio, Thronoque Regina abutitur; prodens sese nigro Diademate redimitam, quod ex Mythris, Thyaris, Coronis, cetris, Togis, Laureolis cęterisque honorum infulis intertextum, hac circum circa inscriptione terret: Statutum est hominibus (a) semel mori; Sceptrumque ferale falcem gestat, cui epithetum: Nemini parco: manu etiam altera irridens jactat, et ad latera removet gelidos cineres, (spolia et reliquias nostrę mortalitatis) quos subter pedes habens premit, et calcat, atque ut aream colonus sic excernit, ventilatque. Mors, inquam, acerba adeo, et rigida cunctorum viventium Domina Magisterium tamen nobile exercet, edocens, quid

(a) Ad. Hebr. 9. 27.

a concupiscentia oculorum, a concupiscentia carnis et a superbia vitę, quibus mundus totus fervet (b) et exestuat, sit vel sperandum, vel exoptandum. ¡ O fluxam, labilem conditionem nostram! ¡ O nos miseros et ingratos vię, ac vitę nostrę.

Hei, heu, Auditores amplissimi: Vos Templum hoc, Templum Dei totius glorię, Regisque tremendę majestatis conspicitis, quod sane temporaneum est, aulęis atratis, pullis laquearibus, luctuosisque peristromatis circundatum, coopertum ac vestitum: Vos tot faces funeras, ferales Cereos, pallentes Candelas mestos Funales in signum condolentis humanitatis et et Religionis advertitis: Vobis in medio Sanctuarij sese effert, ac offert Obeliscus ille parentationis, lugubris ea Pyra, tam simplici magnificentia fulgens, quam misticis Hieroglyphicis sapientia, vera sapientia abundans: Vestros ob oculos objicitur Conditorium ¡ proh dolor! Urna sepulchralis, cui Pileo, Gladiolo, Fasce Judiciaria cęterisque insignibus super positis, Perillustris Defuncti amara memoria reviviscit recrudescit, corque nostrum non tam pungit quam refricat: ¡ Vos abunde Gloriosę Christi Sponsę Ecclesię planctum, Ministrorum ejus luctum et lamentum, oblationem pro piaculo repositam, Ritus lugubres, sitimum lamentationes concentus, et cantica tristissima, et cernitis, et auditis::: Vę quid aliud, ne multis immorer, ¿ quid aliud hac civium, ac exterorum frequentia reduplici cimbalorum sono con-

(b.) Joann. 1. 2. 16.

gregata, hac tota Ordinum congerie nocti concoloribus pennis convolante ad prędari illius Herois anniversariam Depositionem peragendam; ac in omnium ore, vultuque merore, quem videtis, depictum, atque expressum::: Uno verbo, dum cuncta tristitiam, mortemque redolentia adparent; ¿ quid aliud quam ipsius Mortis insigne trophęum erigitur, despoticęque ejus dominationis apposuimus argumentum et exemplum? ¿ Si quidem, eloquar, an sileam?

Hac ferali significatione testamur Comitem, Magnanimum Comitem nostrum nec generosissimi sanguinis splendore, nec Castellanę Dignitatis, seu tituli, munerumque Regalium honestate, nec virtutum moralium, Evangelicarumque ornamento, multo minus thesaurorum auri, et argenti, possessionum vel ope, ac multitudine; effugere potuisse::: ¿ Quorsum autem tendo? ¿ Ut quid illacrimor? ¿ Quem ad finem mea oratio collimat? Consolator sane onerosus ego sum, qui cum de tali nocumento, ac funere vos solari debeam (quod quidam, juxta Apostolum (c.) in similibus contionibus Oratoris Christiani proprium ac pręcipuum est munus) terrorem angoremque vobis incutiam et augeam, de mortis horrore disserens, illiusque jura ac potestatem in egregium Ducem inculcans, exaltans, exagerans. Exagerans certe: ¿ Ubi enim est, mors victoria tua? (d.) ¿ Ubi stimulus tuus? ¿ Ubi aculeus? Absorta es in morte Hominis hujus. Cum Nobilem Christianum interficis, et mactas, non nobilem trophe

(c.) Nolumus vos ignorare Fratres de dormientibus::: ut non contristemini sicut et cęteri qui spem non habent. (d.) 1. ad Chorinth. XV. 55. (e) Ecclesia in Prosa Missę Resurrectionis Dni.

um, sed victoriam innobilem, tibique ruborosam consequeris: non illum tu, sed tu teipsam perdis destruisque: non ullam vitam adimis, sed mortem miseram, et prolongatam: non mortem, non cladem, non occasum inducis, sed vitam æternam, orientemque lucidum in æternitatem. Nam Omnipotente amplexu Christus, in palæstra tecum duelloque (e.) confligens, et colluctans mirando, dux vitæ mortuus regnans vivus, sponte moriens te mortem destruxit vitamque nostram resurgendo (f.) reparavit:.: Atque hæc Auditores clarissimi, hæc unica, sed vera consolatio, unum sed magnum levamen, dolorisque publici lenitivum in memoria exitus Obitusque

Emeriti Ducis, Tribuni Militum, seu Chiliarchæ Legionis inaugurati* D. D. EMMANUELIS ESCANDON, ET LLERA. Comitis de Sierra Gorda, Præfectique Provinciis Internis Coloniæ seu Novi Santander.

Rub... D Je... Cruc... Sign...

Qui omnes honoravit: Deum timuit: Regem honorificavit: Fraternitatem dilexit; Deo acceptus; Regi apprime charus; Civibus gratus, et jucundus; ideoque haud multum in letho suo flebilis cum, etsi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio tamen esse piè credatur: quam piam credulitatem, et fidem ipse honestissimis suis actionibus sibimetipsi et nobis promeruit: etenim timuit, ut monstraturus pergo, Deum; timenti autem Deo

(e.) Ecclesia in Prosa Missæ Resurrectionis Domini.
(f.) In Præfatione temporis Paschalis

um (g.) benè erit in extremis; et in die defunctionis, et consummationis ejus benedicetur. Regem non solum coluit, honoravit; sed honorificavit, exaltavit, honorabiliorem fecit: sicut vero rugitus Leonis ira Regis; et quasi ros (h.) distillans hilaritas ejus. Unde pro sua in Regem fidelitate maximam sibi gloriam, laurum immarcesibilem, nomenque sibi, ac Familiæ suæ comparare debuit æternum. Super omnia (nam et hæc virtus potentior, et patentior est, a Christo, et Apostolis incessanter commendata, cum sit apex perfectionis et plenitudo Legis) Super omnia, inquam, humanitatem verum Civismum, patrioticum amorem, (Evangelicè non æquivocè loquamur) charitatem, seu Proximi dilectionem habuit: propter hanc enim in conspectu potentium (i) admirabilis est, et possidebit immortalitatem. Propter hanc stabilita sunt bona illius in Domino et (j) eleemosynas ipsius enarrabit Ecclesia Sanctorum: Per illam obtinuit claritatem ad turbas, et honorem apud Seniores, (K) et memoriam æternam his, qui post se futuri sunt, reliquit. Fuit ergo Perillustris noster Comes Verus Christianus; Fidelis Servus, Regisque Minister; Optimus Civis, et Societatis Amicus: quæ tria Petrus Apostolus a Christi Discipulis exigit quæque in nostro Heroë præexcellunt, erit, annuente, faventeque Deo luctuosæ hujus, incomptæque orationis res, scopus, et finis.

Ast equidem, dolorem vicem tuam, ô colonia felicissima olim, nunc in mœrore ac lachri-

(g) Eccli. 1. 13. (h.) Proverb. 20. 2. (i.) Sap. 8. 11. et 13.
(j.) Ecclesiastici 31. 11. (K) Sap. 8. 13.

mis jacens Colonia; irascerer utique fatis tuis, fortunasque omnes tuas in discrimen venisse plorarem, ni periculum, quod videris incurrisse de amissione et jactum tanti tamque generosi Viri, (jactum, qua cuncta omnino in te haud immerito dixeris perculsa esse atq. prostrata) ejusdem altero inamissibili Regno, æterna Beatitudine multo abundè putarem fore resarciendum. ¿ Qui enim apud Deum, ante Thronum Excelsi, in cujus manu, nutuque sunt omnes fines terræ; Qui te deserat, aut derelinquet Patrimonium suum dilectissimum, fructum laborum, peritiæque Militaris Clarissimi æque ac Nobilissimi Progenitoris sui: quod etiam proprio sanguine, ac sudore, Ecclesiæ, Regique comparatum, et dicatum, vigente adhuc ætate, a prima juventa percurrit, lustravit defendit? Queretaro siquidem Novæ hujus Hispaniæ in Michoacanensi Provintia, Diœcesique Floridissima Urbe, D. Jacobo Apostolo: (nobilius miram, ut pia traditio est, in sua ab Hispanis expugnatione Apparitionem factam) Dedicata: Floridissima, inquam, nam et ejusdem Præturæ Caput est; ac post Capitale Mexicum populosissima, urbesq. venustas opulentasque Americæ Septemptrionalis Urbes spectabilior; ut pote quæ ad annum proxime elapsi sæculi octogesimum octavum jam supra septem quadraginta millibus Incolarum tenetur: quæque plusquam nonaginta sex Villis, seu Prædijs ruralibus in sui Præfectura territorio re sitis, ac viginti ter Opificii domibus victu vestituque pro-

r visa; frequentissimo insuper (pellium præcipuè tam rusticarum, quam cultarum) utilissimoque Comercio dives; at pabulo spirituali ditior, cum præter numerosam pinguissimæ Parrochialis Cleri Congregationem, ultraque Seminarium Conciliare Collegium, aliaque piar domos, decem Fratrum, et Monialium Religiosa Monasteria in se contineat; (1.) temperantissimo Climate, salutiferis aquis, jucundo Cœlo, commeatisque omnis afluentia, et ubertate cunctos ad sui incolatum, domiciliumque invitet: Queretaro ajebam nobilium, præclaraeque indolis Virorum Matrice, auspicatissimo celebrandoque die XXV Martij, Mundo ac Cœlo natus, infantiaque et pueritia innocenter transactis, florentem adolescentiam sub Disciplina Militari Patris sui, Ducis certè belli, domique Clarissimi, Ecclesiæ ac Reipublicæ jam utilis in Novo Legionensi Regno continuit, duravit, coercuit. Ex tunc Provinciis illis assuetus, comportusque fuit, quas ad usque LVI. vitæ suæ annum, quo è vivis excedebat, millessimo scilicet octingentessimo, incoluit, excoluit, adamavit, beneficiisque operibus, atque generosis factis in sui desiderium pertraxit. Quas ergo Regiones vivens adeo corde, et mente habuit, nequidquam, ô Colonia, dubites, quin fruens Deo, ampliorque ideo valens potestate, nullatenus abjiciat, negligat, vel aspernetur: sed ad propositum Orationis redeamus.

¡ En primum nostro Heroi, radicale què meriti, et virtutis encomium: Deum timuit, tremoremque habuit ad mandata et judicia ejus. Initium

(1.) Videatur Dictionarium Geographicum Historicum Americæ Occidentalis, verbo Queretaro.

sapientię (ll) timor Domini; at numquid tantum principium? Videsis justum Job de timore Dei ita magnifice prędicantem et dicentem: Ecce timor Domini (m) ipsa est Sapientia, et recedet a malo intelligentia: tota ergo vis, ac virtus Sapientię in Dei timore, ac justitia consistit. Hanc tamen prudentiam, atque scientiam Sanctorum stulti despiciunt, renuntque; stulti nimirum, quorum novissima hac nostra ętate infinitus est numerus, qui altum sapientes, et meditantes, ambulantes in magnis, atque in mirabilibus super se; astuti circa omnia, (n) reprobi autem in fide; semper discentes, et numquam ad Scientiam veritatis pervenientes, perfidam illam, procacemque infidorum blasfemiam sibimetipsis assumunt, et aliis evomunt: Quis est Omnipotens ajunt, ut (ñ) serviamus ei? et, quod postea magis insanum, et per-ridiculum, molles Sardanapali, et Caligulę, atque imbelles Semi-viri dum nihil horum pavent, expavescentes tremere ubi non est timor; hoc est Crucis semitam Evangeliique justum tenorem trepidantes; et circa varios eventus, casus hujus mundi inevitabiles honoris nempe, infirmitatis, paupertatisve contremiscentes, et pallentes pusillanimes et timidi; uno verbo, nihil pręter Deum, Sacrosanctamque Religionem spernentes, incidunt in Scyllam cupientes vitare Charibdim; atque, cum umbra fumi paviteant, deboranti igni, ardoribusque sempiternis scientes volentes sese conjiciunt. Absit, et longe abfuit a Defuncto Comite simile mons-

(ll.) Psalm. 110. 9. Et Eccli 1° 16. Item Proverb. 17. et 9. 10.
(m.) Job 28. 8. (n.) Ad Timot. 2. 3. 7. (ñ) 21. 15.

trum, et duplex prodigium. Non illum mehercle, quę sontes mortuos ultrix accincta flagello, Tysiphone, quatit insultans.

(ô) Torvosque sinistra
Intentans angues, vocat agmina sęva sororum.
Velquis Phlegyas miserrimus impiorum Manes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
(p) Discite justitiam moniti, et non temnere Divos:

Neque etiam Gnosius Rhadamantus tenens durissima illa regna::: Ast non inter lachrimas ludamus, Fabulisque jocemur; musica enim in luctu importuna narratio, (q.) Christiane en agam; Haud, ajebam, Religiosissimum comitem nostrum Behemot, seu Lucifer ille antiquus de consimili impietate, aut infidelitate aliqua despectuve, Religionis, rerumque vel Sacerdotum ejus accusabit, arguet, vindicavitque. Quin potius Vir simplex ac rectus, timensque Deum, et recedens a malo, sicut tumentes super se fluctus maris trepidabat Altissimum, et pondus Religionis ejus ferre non poterat: Hęc istius Herois plena, ac tota Sapientia; neque enim

(r.) Cœlum, ac terras, camposque Liquentes
Lucentemque globum Lunę, titaniaque Astra aut quęsivit, aut curiose rimatus est. Sed sciens quod universa vanitas, et aflictio Spiritus; (S.) et quod non invenit homo opus quod operatus est Deus ab initio usque in finem ( ) pręter Musicę, Picturęque Liberales Artes, quibus pro debitando otio, et ad animi re-

(o.) Virgilius 6. Aeneidas. (p.) 6. Aeneido. (q.) Eccli 22. 6 Tamen his Poetarum flosculis in similibus orationibus utuntur viri eruditi inter quos D. Franc. Salesius in Funebri Philippi Emanuelis de Lorena. (r.) Eccle. 1. 14. (S.) Ecclesie. 3. 11.

relaxationem usui est, hac unica Scientia.

Tamen sarta, tectaque sit cuique Doctorum sua laus: huic abdita pandat obtrusis naturæ sinus: ille floribus Artes perlustret: dulces alius restauret Athenas: dum quis in Aristippi aut Senecæ præcepta relapsus Socraticas revolvit opes: aut conscius Legum, prædiras tentat componere lites, curans dissolvere difficiles Juris, Gordianosque nodos: Ecce autem Comitis nostri Sapientia lucet longe, lateque sublimior: videlicet timor Dei, muneri, officioque suo præsto esse, debita adimplere, morem gerere Superiorum mandatis, partesque sui omnes ad amussim præstare, explere, persolvere. Hinc in primis devota illa, exemplarisque obedientia Dei præceptis, Legibus Ecclesiæ, Regisque ac Pro-Regum jussionibus; præsertim vero Communionis Paschalis, jejuniorum quę equalis observantia, quę eheu! in Potentatibus sui Ordinis nimis infrequens et rara hodie reperitur: hinc cultus debitus, ac religiosus præstitus Deo, Dei-Parenti, Sanctisque ejus, et Amicis, atque is humiliter, frequenter, medullitus, et ex animo: hinc procurator ubique, præcipue autem in Santander, quę sibi pro Domicilio erat Templorum nitor, et majestas, summaque reverentia et honor eis exhibitus: hinc Sacerdotum affectuosa veneratio, et amor; eorumque imperfectiones aut forsan peccata cooperta velataque, saltem excusata benigne accepta: Proh! obstupescite Cœli, et portę ejus desolamini vehementer: Hodie plerique

sacrilegi, parricidęque Cham revelant pudenda Patruum suorum eosdem suspenso naso deridentes, et etiam exprobrantes.

Istinc::: sed ne diutius quam par est longa procedat oratio; ¿an judicium, quod soli Deo repositum est, circa hunc Virum præripere, et antevertere est animus? Procul: Pura perfectaque intentio, et interiora hominis ei, qui plasmavit cor; insufflavitque Animam reservantur. Hoc tantum adjiciam: quod Evangelicam simplicitatem sectatus est; quod nulli scandalum præbuit; quodque â vitiis illecebrisque carnalibus maximopere abstinuit sese. Cętera Deo, cum ipse solus probet homines, et agnoscat; feriat et sanet, mortificet, et vivificet: ducat ad inferos et reducat. Duo tamen sunt, quę inter alia reticenda non esse videntur; quod nempe vitam constanter deguit austeram, laboriosam, secessam, solitariamque, a tumultu rerum, rumoribusque hominum quantum illi fas fuit sejunctam, ac segregatam: apprime enim noverat, mundum magnum illum Deo inimicum, bonisque moribus, spiritusque pacis, ac serenitatis perturbatibus in tantum prepollere viribus, in quantum ille queritur; ideo accendere, et urere, quia et nos eidem heremus, et approximamus; et quem fugisse, idem sit jam ac illudere, contemnere, deque illo gloriosè triumphare. At illud mage singulare, spectabiliusque: Cum namque homo dives, prepotens, êques, a natura fortunaque dotibus præclariis conspicuus, matura adhuc tem-

perituaque ętate primi Matrimonij lege, et vinculo solveretur, nullatenus ulla persuasione adduci potuit, ut hymeneas rursus retentas delicias, cor suum alteri nodo, conjugio ve devinceret. Bigamiam ille, etsi non ab Apostolo, vel ab Ecclesia damnatam sapienter arbitrabatur in Christi-fidelibus tanto minus decentem esse, quanto graves deptiorem luxurię habitum emittit pretenditque. Nequaquam, ut Heroa nostrum ex hoc magnificemus, cum Encraticis, Adamianis, et Manichęis nuptias reprobaomus, ac si instituto naturę hominumque procreationi opposite essent, nec ut Montanistę, et Novatiani Bigamiam, seu Polygamiam successivam, vel secundas nuptias tamquam irritas, vel illicitas adstruimus: minime Libertinis Irreligiosisque hominibus ansam damus, quò hinc Fideles a Sacramento Matrimonij arcere studeant, eo fine, ut mulieres sint communes; ut generationis voluptatem non subsequentia pondera curent; ut demum desperantes se tradant in operationem immunditię omnis. Quoniam vero iterata connubia libidinis intemperantiam ac ęstum preseferunt, inde et ab Ecclesia, velut turpitudo pęnitentia digna, aliquando nota est, et ob aliquam indecentiam irregularitate, seu inhabilitate ad Sacros Ordenes fuit, estque onerata. Prudenter itaque, immo, sanctè se gessit Comes noster dum Comitatus successionem splendoremque Familię, Regulis Canonicis proposuit; atque naturę acrem impulsum desiderio perfectionis Christianę. Clamitet nunc in Seneca Nutrix Hippolyti (Y.)

Cęlibem vitam probet
Sterilis juventus; hoc erit quidquid vides
Unius ęvi turba, et in se met ruet.

Quod usque ad nauceam horum temporum Pseudo-Philosophi repetunt, objiciuntque. Nobis ad cęlibatus honestęque viduitatis majorem prę Matrimonio perfectionem adserendam, sufficiant verba Apostoli ita juxta Spiritum Dei testantes, et docentis: Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium:::

Ad ulteriora vero transeamus. Latior etenim patet campus, uberiorque nobis seges aperitur; dum Dignissimum Comitem non jam Christianum verum, quod, ut preduximus, solius Dei judicare est; sed Fidelem Regis subditum, atque Ministrum, optimumque Concivem demonstrare tendimus. ¡ O mores! ¡ O deliria! Advenerunt quidem homines, de quibus Apostolus, cupidi, elati (X.) protervi, dominationem spernentes, qui vacuo libertatis naturalis fictoque nomine Mundum universum conciliant, seducunt, tumultuantur, excitant adversusque sublimiores Potestates, Reges Unctos Domini quasi classicum canunt. Sacrę Paginę, Veterum Doctorum, Philosophorum melioris notę, Oratorum, Politicorum, Historicorum, etiam Poetarum, totam retro venerandam antiquitatem rejicien-

(Y.) In Hippolyto v. 477

tes, eorumque maximi ponderis testimonia, rationes que floci, nihilo facientes, non solum Regimen Populare, seu Democraticum Monarchico anteferunt, preponuntque, sed et ut communi utilitati noxiam Regiam Dignitatem traducunt, despotismi, inmanitatis, tyrannidis barbara nota inuxunt. Monarchici Regiminis specimen, et finis, blaterat Reussoyus, non est felicitas publica, sed privata Regum: pejoraque his nostris, ipsis diebus, ut ex literis periodicis patet ab impiis sanguinosis que hominibus oscitanter propalata fuere. Recedite, obsecro, a Tabernaculis hujusmodi iniquorum, et nolite tangere vel que ad eos pertinent, ne involvamini cum peccatis eorum; preceptisque salutaribus moniti (x.) Apostolica institutione formati, que sic se habet: Omnis Anima potestatibus sublimioribus subdita sit: (y.). et obedite prepositis vestris etiam dyscolis (z.). et hoc non tantum propter iram, sed potius propter conscientiam: Regi vestro piissimo eque ac Catholico cito, et semper, ut hactenus, respondeatis, quod Moyses ad Pharaonem, Principem licet protervum: Ita fiet sicut locutus est: aut congruentius, quod Populus Israeliticus Josue, idipsum corde, ac ore proclamante: Qui contradixerit ori tuo, morte moriatur (a.) En quem deflemus, Dignissimum Comitem, normam exemplarque Subditi Fidelis. ¿ Quid autem mirum ? Cum

ipse purissimus sanguis, qui per venas et arterias ejus circulat, nimirum Familie **ESCANDON** que recto ordine adusque nobilissimum illum Hesperie Liberatorem Rodriguetium Diaz de el Vivar Cid ab Agarenis cognominatum; Septem de Lara Clarissimos Infantes, Marchionesque de Bialcar splendidissimum ascendit::: Interserere etiam oportet ex opere quodam Nobiliario Hispano articulum qui de verbo ad verbum relatus tenoris sequentis est: ESCANDON, ait, (b.) Progenies
„est antiquissima, Fidalgorum specta-
„tæ claritatis et Stirpe admodum nota,
„in Principatu Asturum Oveti seu
„Brigentii, Radix stemmate insignis,
„sita ad fines Gallecia. Sui origo, Ge-
„nealogia, et ascendentia á longe mul-
„tum advenit: duxitque hæc Domus
„Commendatissimis Hominibus, qui Re-
„gi Domino suo deservierunt in expe-
„ditionibus, Provinciisque, quæ illis
„fuerunt demandatæ, plurimo sem-
„per honore, ac sui præhabita exis-
„timatione, ut pote veri, bonique HI-
„JOSDALGO, seu Viri ingenui, et
„immunes"; ¿ Quid igitur novi ? ajebam: Cum ipsemet regius sanguis, qui suos influxus per artus vitam spiritumque nobilem illi tribuebat

(b). Nobleza de los Hijosdalgo de España. Jardin deleitoso, y vergel de nobles:::